

Mai. 8

Circum noque forata

1

Mai. 10

Mai. 17

et Bononienses ^ymolam per III septimanas die viii intrante ^ymadio obsederunt, eam in vineis, arboribus et segetibus a septimo miliario ^ycum curia dicti castri, devastantes hostiliter. Quomodo autem Bononienses dictum episcopum Ma.¹ Sancti Cassiani, qui nos et eos in tantum offenderant [a], tractaverint [b], sermo declarabit inferius. Destruerunt enim penitus dicti Bononienses castra et loca dicti episcopi, ^{sc.} videlicet castrum [A] Bagnarie, et Caput Silicis [c] [B] flamma combusserunt ultrici [d], ac postea destruxerant hostiliter. Decima vero die dicti mensis pars Faventinorum cum hostibus in loco vocato Rivalta, sunt præliati, eos capiendo, prosterendo et persequendo fere usque fornaces. Die vero v exeunte ^ymadio Bononienses quidam [e] viri fortes, apud Sanctæ Christinæ [C] portam, cum hostibus prælium habuere, igne opposito [f] in domibus burgi, ubi deterius habuerunt, quam hostibus intulissent. Quo Faventini viso, subito armis assumptis, tamquam recentes ad arma parati, et tantis amicis volentes succurrere, usque ad portam de Aldrovandis et ad portam Spifilliam, et ad portam Silicis, nullo obstante obstaculo, cucurserunt audacissime. At ubi cum ^yImolenses intellexissent, quod Faventini ad dictas portas jam essent etiam parati, relictis Bononiensibus ad nos cucurserunt; et sic ab eis sunt separati libenter.

Prælium apud rivum Coricli.

1

CAP. CLXXI.

Eodem anno Bononienses in vigilia Sancti Apollinaris, cum more solito equitassent usque Fraxenum eorum castrum, et hoc ^yImolenses audiissent, armis assumptis, ultra rivum Coricli [g] [D] summa vi, nullo alio expectante [h], sunt persecuti, et cum eis bello peracto fortissimo a media tercia usque ad horam nonam, tandem vertuntur in fugam. Qui erant extremi, perierunt in ore gladii [i]. Multi ex eis plagis et pœstu et siti sunt rapti de medio. Plures quam non*agenti* fuerunt in vinculis mancipati [j], eos occidendo, prosterendo, capiendo et persequendo usque Sanctum Eustasium [E].

[a] in tantum offenderant. Sic Codd; lege: offendat. — [b] tractaverint. Sic lego. Tractaverunt, C. V.; tractavere, Cl. Mitt. — [c] Caput Silicis. Sic lego. An campum Silicis legendum? Cl. Mitt. legit: campi Silicis; Cod. V., Cap. a Silicis. In C. M., Cap. Silicis. Tondutius vertit Caposelice. Et, addidi. — [d] combusserunt ultrici, C. V.; combuxerunt ultrici, C. M. — [e] Bononienses quidam. Sic lego cum C. V.; quasi Bononienses, Cl. Mitt. — [f] igne opposito. Sic Codd. — [g] ultra rivum Coricli, C. V. ut etiam in titulo. Sed hic C. M. habet; Coericli. Tondutius legit Cericli, ac vertit cerchia; oblitus forsitan tunc temporis circlam vocari consuesse la cerchia, non cericum. — [h] nullo alio expectante. Sic Codd. Num legendum est, nullum alium expectantes, aut nullo illud expectantes? — [i] in ore gladii, C. V.; in hore gladii, C. M. — [j] in vinculis mancipati. Sic Codd.

[A] Bagnarie. Nunc Bagnara, oppidum, sive castrum dioecesis Imolensis subter viam Aemilianam, quatuor vel quinque milliariis ab urbe Forocorneliensi.

[B] Caput Silicis legendum esse docet charta ann. 1160, in qua nominatur ecclesia Sancti Patritii in Capite Silicis, in territorio Imolensi. Extat in Caps. I, 4127, Archiv. Archiep. Rav.

[C] Tondutius hanc portam perperam vocat Sanctae Iustinae.

[D] Rivum Coricli prope Massam Lombardam esse advertit Cl. Mitt.

[E] Alibi notavimus Sanctum Eustasium esse idem ac Moredanum, castrum quod distat ab urbe Imolensi milliariis quinque ad septentrionem.